



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 75. Burgum, Liburnum, Acquæ, Fronsacum, & cetera oppida Regi
subjecta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Secul. XV.
A.C. 1451.

§. LXXV.

*Burgum, Liburnum, Acquæ, Fron-
sacum, & cetera oppida Regi
subiecta.*

His urbibus prospero Marte subactis, Gallorum copiarum ad Duranii fluminis ostia processerunt, Burgum expugnaturæ, quod etiam quinto vel sexto die, nempe vigesima nona Maji, armis captum est, illiusque præfectura Jacobo Chabannio domus Regiæ Præfecto commissa. Postea Liburnum, ne inchoata quidem obsidione, occupatum fuit. Rigodonum quoque Armeniaco Comiti, & Castellonium Penthiverio Comiti illico dedita. Tum exercitus ad Acquis Augustas ductus hanc Urbem, necnon & Fronsacum toto obsidionis apparatu cingebat. Burdegalenses, captis semel ambabus urbibus, nulloque oppido, quo se tuerentur, interjecto, cum sibi solis totam belli molem impendere cernerent, ad Dunensem Comitem Oratores ablegarunt, virumque, qui deditiois pacta instrueret, sibi transmitti efflagitarunt. Id negotii Santrellio demandatum, qui rem ad optatum perduxit exitum. Igitur Burdegalensibus data est quosdam ad Regem Angliæ ablegandi potestas, qui sibi suppetias mitti postulerent, alioquin Gallis

Gallis se dedituros nunciarent. Hunc **Sæcul. XV.**
 in finem illis concedebantur liberi com- **A.C.1451.**
 meatus tabulæ, ea tamen lege, ut nisi in-
 tra diem vigesimum tertium Junii Angli
 Fronsacum obsidione liberaturi se siste-
 rent eo numero, qui par esset Francis re-
 pellendis, Burdegalam, ceteraque oppi-
 da huc pertinentia dederent, Regique,
 vel eo absente, belli Præfectis fidem suam
 sacramento obstringerent. Vicissim Gal-
 li spondebant, hac conditione expleta
 cunctas Burdegalensium civium immu-
 nitates illibatas omnino mansuras; nec
 ipsos ullis tributis, vectigalibus, aut sub-
 sidiis obnoxios fore: supremum tamen
 justitiæ tribunal, necnon rei nummaria
 euriam in urbe collocatum iri.

§. LXXVI.

Galli Burdegala potiti.

Angli, cum expedita subsidia sperare
 haud possent, deditionis pacta exple-
 verunt, solis Bajonnensibus accedere re-
 nuentibus, quos vana spes lætabat, An-
 glorum Regem urbi suæ tempestive sup-
 petias missurum. Interim vero Gallici
 exercitus Duces ingenti pompa die vige-
 sima nona Junii in festo SS. Apostolorum
 Petri & Pauli Burdegalam Ingressi sunt.